

P R Æ F A T I O.

monstrationem sine syllogismo esse nolumus, videndum an non etiam exemplum syllogisticae structurae praestet quippiam, siquidem quaestionis concludenda sit argumentum tertium. Verum hac de re alibi accuratius differendi locus erit: modò enim in mathematica materia, quid Euclidi praestet Ramus satis dictum esto: Ad formam itaq; doctrinae venio, de qua brevius etiam dicam. In operis mathematici universa forma natura prior est arithmetica, geometria posterior. P. Ramus omnem arithmetica, Euclides nullam arithmeticae geometriae praeposuit. Quin quatuor libris geometricis imposuit quintum arithmeticum, huic sextum geometricum, sexto rursus arithmeticos septimum, octavum, nonum: tandem cunctis hisce reliquos geometricos superstruxit. Mathesis igitur Ramo est primum arithmetica, tum geometria: Euclidi primum geometria, tum arithmetica, rursus geometria, rursus arithmetica, tandem geometria. An hoc non est duo Matheseos corpora confundere? Quid de corporibus dico? in membris corporum non minus est praeposterus Euclides: qui in septimo libro pleraque habeat priora natura & notiora iis, quae sunt in quinto. Quin etiam genera speciebus suis plerunq; postponit, ut facit in quibusdam planorum proprietatibus libro 13. quas stereometriae remisit. Quamobrem, princeps illustrissime, ut praestantioris Stoicheoseos quaestionem è materia formaq; praestantiore concludam, vides melioris logicae jam etiam in mathematico themate quanto meliora sint emolumenta, videlicet arithmeticae & geometriae pueris facilem & jucundam praestare, quod Euclides nunquam potuit. Ecquid causa est cur ab eadem logica non etiam reliquas artes tota specie corporum suorum optabiliores speremus? vera siquidem logica lex unica est philosophicae scholae, lux ingenij, doctrinae princeps.

Sed renata & rediviva P. Rami autore Euclidea mathesis, haud